



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1925**

De S. Georgio Episcopo Lutevensi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A

D

## DE S. GEORGIO

c. 870

## EPISCOPO LUTEVENSIS

H. D.

*Georgius* 1. Quinto idus novembres a Saussayo (1), Castellano (2) et in martyrologio Parisiensi anni 1727 nuntiatur S. Georgius episcopus Lutevensis seu Lodovensis, qui certe saec. XVII incunte hoc die in sua ecclesia colebatur (3), cuius tamen festum saec. XVIII, ut videtur, postridie agi coepit (4). Qua de causa diem commutaverit cum SS. Tiberio, Modesto et Florentia, qui aliis locis IV idus novembris recoluntur, ignorare me fateor. In dioecesi Ruthenensi dies 19 februarii eidem sacra est. In serie episcoporum Lutevensium medius est inter Tatilam, qui anno 844, et Macarium, qui anno 885 sedisse perhibetur (5); ipsi autem a Carolo Calvo († 877) telonium cum pascuariis, vineis, praediis et villis loci de Sallèles donatum est, ut ex Lutevensibus documentis efficitur (6). Et haec fere sunt quae de sancto episcopo certa videntur et probata.

*episcopus Lutevensis fuit.* 2. Quae de gestis antistitum Lutevensium scripserat Bernardus Guidonis, et ipse huius sedis episcopus, periisse videntur (7), nullaque S. Georgii Vita superest praeter breviorē illam quae tribus constat secundū nocturni lectionibus, quamque e Proprio Sanctorum Lodovensi anni 1630 proferimus. Fuit autem libellus auctoritate et proprio labore Ioannis de Plantevit de la Pause concinnatus, viri sane non indocti, qui monumenta Lutevensis sedis historica diligenter collegit. In principio autem trium lectionum ex veteri chartulario monasterii Conchensis et ecclesiae Lodovensis easdem sumptas esse nolavit.

*Eius gesta* 3. LECTIO IV. Georgius nobili prosapia dioecesis Ruthenensis ex Aquitaniae provincia fuit oriundus, qui toto pueritiae et adolescentiae suae tempore, liberalium artium studiis docilem animum iugiter mancipavit, quibus plenissime informatus, postea incessanter divinis litteris ita incubuit, ut suis etiam magistris eruditior haberetur. Erat autem in voluntaria corporis sui afflictatione et assidua maceratione rigidus et severus, in caritate fervidus, sobrius et pudicus, sapiens et facundus, humilis et mansuetus, religione, moribus et litteris apprime imbutus et ornatus.

LECTIO V. In collegio Conchensi praedictae dioecesis, primum a praeceptoribus eruditus, ibique Deo militans adeptus est sacerdotii dignitatem atque monasticum ibidem sumpsit habi-

tum iuxta regulam Divi Benedicti. Consequenter, divino numine hoc ita providente, in Vabrensi monasterio eiusdem ordinis et dioecesis, quod aliquanto post ab ea divulsum et in episcopalem sedem erectum fuit, tamquam simplex sed devotus et pervigil monachus per plures annos habitavit.

LECTIO VI. In quo ieiuniis frequentibus, vigiliis diuturnis, orationibus opportunis, crebris gemitibus continuisque suspiriis insistens, viriliter et constanter pro suis et populi delictis indulgentiam precabatur. Inter fratres regulariter conversans, humilis semper, mansuetus et hilaris extitit; ita ut praesentibus et futuris monachis mirabilem vivendi normam reliquerit, ut utiliter exordiri, utilius proficere, et utilissime perseverare possent in proposito sanctitatis et perfectionis acquirendae. Unde tandem ad episcopalem evectus est dignitatem, dignusque factus est huius ecclesiae Lodovensis episcopus.

4. In sequentibus breviarii Lodovensis editionibus eadem legitur epistola, cui haec postea ad calcem subiuncta sunt: circa annum octingentesimum octogesimum. Populum sibi commissum per tres circiter annos sanctissime gubernavit, expletoque in omnibus boni pastoris officio, in Domino obdormivit. Eius reliquiae Lodovae in maiori Sancti Genesii basilica conservatae et honoratae fuerunt, donec a Calvinianis in luctuosa urbis direptione dissipatae sunt (8). Nec multum discrepant lectiones breviarii Ruthenensis, quae nonnulla inserunt de historia coenobii Vabrensis cui Georgius adscriptus sit anno circiter octingentesimo sexagesimo secundo; Lutevensem cathedram ascendisse perhibetur anno octingentesimo septuagesimo septimo (9).

5. Quae Proprii Sanctorum lectionibus enarranda iusserat episcopus Planteviti, in sua Chronologia iteravit (10), neque ex alio fonte se hausisse fatetur praeter legendarium Lodovense et Conchense chartularium, quae periisse dolemus (11), ita ut nulla suppediet ratio de rerum veritate iudicium ferendi. Quod autem asserit Georgium anno 880 episcopum creatum esse, infausta est coniectura, siquidem vivente Carolo Calvo, qui anno 877 obiit, ad Lutevensem cathedram sublimatus sit (12). Cetera quae de annis in coenobio et episcopatu transactis ex breviariis attulimus nullum ex

quae in breviariis enarrantur

cum alterius Georgii gestis

(1) Martyrologii gallicani pars posterior, p. 852. — (2) Martyrologe Universel, 9 nov. — (3) Proprium sanctorum insignis ecclesiae Lodovensis (Parisiis, 1630), p. 42. — (4) Breviarium Lodovense, pars autumnalis, Parisiis, 1775; Missale Lodovense, Parisiis, 1776; Breve Lodovense (Monspeii, 1832), p. 53. — (5) DEVIC-VAISSETTE, Histoire générale de Languedoc, t. IV (Toulouse, 1872), p. 287; DUCHESNE, Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule, t. I, p. 314. — (6) PLANTEVIT DE LA PAUSE, Chronologia praesulum Lodovensium (Aramontii, 1634), p. 39; Gallia Christiana, t. VI, p. 531. — (7) DELISLE, in Notices et ex-

traits des manuscrits de la bibliothèque Nationale, t. XXVII, 2, p. 273. Cf. L. GUIRAUD ap. E. MARTIN, Histoire de la ville de Lodève, t. II (Montpellier, 1900), p. 398-425. — (8) Breviarium Lodovense (Parisiis, 1775), pars autumnalis, p. 501. — (9) Proprium Sanctorum insignis ecclesiae cathedralis B. Mariae et dioecesis Ruthenensis (Ruthenensis, 1824), p. 265. — (10) T. c., p. 32-39. — (11) In libri quem chartularium Conchense nunc dicunt fragmentis (Cf. STEIN, Bibliographie générale des cartulaires français, nn. 1043, 1044) nulla mentio occurrit. — (12) Supra, num. 1.

monumentis



A monumentis pondus accipiunt. Iam vero ut de tota S. Georgii historia nostram quoque coniecturam proferamus, notatu dignum est nostris, tomm allerum Iunii prelo parantibus, casu submittas esse lectiones tres de S. Georgio monacho Vabrensi, quae cum Proprio Lodovensi e verbo concordant, ita tamen ut de suscepto episcopatu nulla sit mentio (1). Quod idem ille qui in Conchensi monasterio eruditus erat et Vabrensi ascriptus Lutevensem sedem adeptus fuisse asseratur, id

permixta videntur.

(1) Act. SS., Iun. t. II, p. 244-45.

solis hagiographis, ni fallor, debetur, qui Georgium monachum unum cum Georgio episcopo existimarunt. Et illius quidem commemoratio die 19 februarii in dioecesi sua Ruthenensi agebatur, huius autem 9 novembris apud Lutevenses. Postquam in unum coalescere visi sunt, pristinam nihilominus in sua quisque dioecesi anniversariam diem servarunt. Et haec quidem indubia esse non contendimus; certiora tamen non occurrunt.

AUCTORIBUS  
H. D.

## DE S. THEOCTISTE LESBIA

IN INSULA PARO

B

E

SAEC. IX

COMMENTARIUS PRAEVIUS

H. D.

Vitae  
S. Theoctistae  
summa.

1. Lepida est historia quam se accepisse testatur a quodam monacho Nicetas magister, cum a Leone imperatore († 911) legatione juncturus ad Arabes Cretenses missus, ad Parum insulam paulisper divertere coactus fuerat. Cum templum Deiparae, ornatum et marmore conspicuum, sed a Nisiri, Arabum duce, vastatum visitaret, obviam venit eremita, sacerdotio auctus, qui solitudinem plus quam triginta annos incolebat. Hic Nicetae et sociis bene precatus, sacrosancta mysteria celebravit, plurima de Nisiri et Arabum incursione eorumque ad Xylophagum, Euboeae promontorium, clade narravit, et ea tandem quae paucos ante annos de S. Theoctiste a venatore Euboeensi audiverat. Advenerat ille cum sociis in insulam Parum, quae magnam cervorum et caprearum copiam alebat. Postquam multum venatus esset, antequam discedit, templum Deiparae ingressus est. Videns autem prope sacram mensam sublegmen quoddam quod vento agitabatur, volensque discernere quid esset, vocem audivit dicentem: « Ne ultra progrediaris, mulier enim cum sim, nuda a te conspici erubescio. » Obstupefactus pallium ei proiecit. Accessit mulier illa — Theoctiste nomen illi erat — quae a triginta annis eremiticam in insula vitam agebat, herbis victitans, amictu autem paulatim detricto spoliata. Fuerat quippe cum suis in patria Lesbo ab Arabibus capta, Parum deducta, ubi in silvis latuerat donec praedones insulam relinquerent. Haec cum aperuisset: « Quando anno sequenti, ait, navigaturus es in hanc insulam venandi causa, rogo ut in vase mundo mihi accipias particulam ex intemeratis donis corporis domini nostri Iesu Christi. Ex quo enim hanc habitavi solitudinem tali dono numquam sum dignata. » Repromisit ille, et anno uno elapso, eucharistiam in pyxide secum tulit, piaequae mulieri tradidit. Tum venatum abiit. Antequam autem ad navem regressus est, ad templum rediit,

Theoctistae valedicturus; ipsam vero invenit, in ipso loco, in quo eam prius viderat, e vivis excessisse. Quam statim sepulturae tradidit, una prius eius excisa manu, quam reliquiarum instar secum tulit. Tum in navem ascendit, et solvere iussit. Cum autem dies illuxisset, navis in eodem portu immobilis remansisse visa est. Intellexit venator pium furtum Deo displicuisse, statimque in templum revertit, manumque cum corpore sanctae reposuit. Quo facto, navis sine ulla mora soluta est. Tum sociis, quae acta fuerant, venator aperuit. Hi autem protinus proram verterunt et Parum omnes regressi sunt. Ad templum cursu contenderunt, et visus quidem est locus in quo sancta posita fuerat, figuram corporis servans, corpus autem evanuerat. Et haec quidem venator Symeoni, qui eadem narravit Nicetae, eumque sacramento adegit ut beatam vitam scriptis mandaret.

2. Nicetam hagiographum celeberrimum Paphlagonem, sub Leone imperatore floruisse, et ad tempora Constantini Porphyrogeniti vitam profecisse in superioribus dictum est (1); illum ipsum esse qui Theoctistae historiam ex ore Symeonis monachi exceperit, nec alium esse ab illo Νικήτα τοῦ πανεμφήμου πατριζίου καὶ κλέστορος nomine qui Vitam S. Andreae Cretensis, BHG. 113, conscripsit (2) asserere non ausim, licet temporum ratio minime obstat. Vitae autem Theoctistae binos habemus libellos, in multis persimiles, quos qui non satis distinxerunt in gravissimos incurrerunt errores. Bipartita est diversitas codicum, quorum alii, N, illum ipsum libellum exhibent quem Nicetas conscripsisse traditur, BHG. 1723-1724; alii, M, quorum nullus est qui metaphrasticus non sit, libellum anonymum, BHG. 1725-26, qui alterius retractatio est. Porro Metaphrastes libellum Nicetae novo instruxit prologo, phrasim hinc inde mutavit, sententias nonnullas e suo peno induxit, et ultima capitula paulo prolixius

A Niceta magistro

Vita primum conscripta est,

(1) Supra, p. 13, n. 10. — (2) Ita censuit Chr. LOPAREV, in Vizantijskij Vremennik, t. IV, p. 346. expressit